

## **Dissertatio inauguralis de placenta previa ... / submittit Augustinus Kriegl.**

### **Contributors**

Kriegl, August.  
Universität Wien.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Viennae : Typis Christiani Friderici Wappler, 1783.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/v2ggk2dw>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

PLACENTA

PRÆVIA,

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE  
MEDICA

IN

ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA  
*UNIVERSITATE VINDOBONENSI*

PRO

GRADU DOCTORIS

*PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT*

AUGUSTINUS KRIEGL,

AMERGAVIA BOJUS.

IN NOSOLOMIO MEDICO-PRACTICO  
ASSISTENS.

*DISPUTABITUR IN UNIVERSITATIS PALATIO*


*Die Mensis Decembris*

MDCCLXXXIII.

---

*V I E N N Æ*

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.




---

## LECTORI.

---

**A**bsoluto jam pridem examine rigoroso hanc demum dissertatiunculam invita quasi Lucina natam vides, & tanquam per abortum editam: maturi nihil ab ingenio minus exercitato expectari debere sero didici, ubi morbis, rebusque medicis accuratius pertractandis *Optimo Præceptore* duce dedissem operam, mirabarque nimium veteribus plurima nota & descripta fuisse, quæ tanquam nova & inaudita in secretiores mihi tabellas conjecerum, fu-

perbo quondam titulo pro specimine  
inaugurali distribuenda. Rifi post-  
nodum ignorantiaë meæ; ut tamen  
mori recepto obsequerer, pagellas  
has de *placenta prævia* conscripsi  
quæ, si nihil boni, parum saltem  
continent.



Ex



Ex numerosis, quibus adstiti partibus  
bini contingerunt, ubi placenta fœtui  
prævia erat: quo terrore, & qua animi  
Titubatione hoc viderim, probe scio, &  
hinc non inane puto, peregrinos juniores-  
que in arte obstetricia de fatali nec infre-  
quenti placentæ situ admonere, ne si &  
ipsis obveniat, periculo ac novitate rei  
perculsi de auxilio ferendo ancipites hæ-  
reant, interque consilii ambiguitatem ma-  
ter fœtusque perdantur.

Si uteri orificio interno placenta ac-  
creta sit, *ea prævia* dicitur.

Accretio hæc vel *totalis* est, ubi toti  
peripheria internæ orificii placenta infidet,  
vel vero *partialis*, si uni tantum lateri  
adhæreat.

*Spuria* quoque ab authoribus placenta præviæ species est descripta, si nempe placenta a fundo, vel uteri parte aliqua ante partum soluta ad orificium delabatur & sic prævia fiat. Speciem hanc spuriam revera unquam obtinuisse valde dubito, cum præsentibus adhuc aquis, utero undique presso spatium liberum non superfit, ut placenta a loco avulsionis suæ dimoveri, & ad orificium usque delabi possit, rupto vero ovo, aquisque perditis uterus foetum immediate ambit, spatiumque illud contrahendo se elidit, quod aquæ antea expleverant; hoc optime illi noverint, qui ad foetum post elapsas jam aquas versione extrahendum manus admoverunt.

De *Causa* placenta præviæ, seu cur potius nunc orificio quam fundo implanta sit, non dicam, sed Physiologis quæstionem hanc solvendam relinquo.

*Symptomata*, quæ notant placentam præviam esse, sequentia fere numerantur: septimo circiter graviditatis mense finito foemina sine causa data stillicidium sanguinis ex vagina patitur exiguum, absque molestia, sponte cessans: paulo post simi-  
le

le stillicidium redit largius diutius fluens  
id quoque sponte filet nihil adhuc infausti  
metuitur. Brevi autem idem malum ite-  
rum iterumque revertit gravius, donec ul-  
timo graviditatis termino appropinquante  
ingredientibus doloribus sensim auctis &  
repetitis hæmorrhagia ingens continua,  
sub singulo dolore aucta ita contingat, ut  
præsens matris & prolis perdendæ pericu-  
lum omnibus, etiam ignaris appareat, &  
jam profuso vitali humore pallida, exsan-  
guis, convulsa mater moritur fœtu non-  
dum, vel sub ultimis convulsionibus edito.

*Ratio* horum symptomatum ex his  
peti debet: uterus graviditate procedente  
a fœtu & aquis incrementibus expanditur,  
figuram ex pyriformi globosam induit, col-  
lum abbreviatur, applanatur, placenta  
collo & orificio inhærens tenditur, va-  
scula, quibus nexa est, initio minora sol-  
vuntur, sanguinem plorant modicum, stil-  
latim depluentem: aucto magis volumine  
uteri collum distrahitur magis, vasa ma-  
jora lacerantur, sanguinis insignior copia  
profunditur, usque dum urgentibus dolo-  
ribus prelo quasi constricto utero orifi-



cium vi diducatur, placenta a capite fœtus incumbente potrudatur, vasa omnia peripheriæ orificii accreta rumpantur, fundantque continuo luminibus amplis copiosum, sub omni dolore maxime auctum sanguinis rivum, non nisi cum vita parientis, aut paulo ante cellantem.

*Signa diagnostica*, mali hujus ante septimum graviditatis mensem nulla dantur, utpote orificio vel collo uteri perfecte clausis; circa ultimos binos menses vero apparentibus quandoque levioribus, & ut ante memoravi, repetitis hæmorrhagiis suspicio de iniquo hoc placentiæ situ nascitur, certus vero tum primo eris, ubi vaginæ immissus digitus in ipso orificio uteri loco aquarum vesica contentarum reperiat corpus molle, spongiosum, inæquale & si prematur, sanguinem fundens.

*Prognosis* ex dictis patet, nec enim alia hæmorrhagia tam cito, tam certe lethalis est, ac ista, & ubi omne auxilium, quod momentaneum non fertur, frustraneum est.

*Diffrentia* ab aliis uteri hæmorrhagiis hic notari debet: parvæ & prodromæ  
sang.

sanguinis stillationes distinguantur a fluxu menstruo in gravidis quandoque ad ultimos menses usque recurrente, quod fluxus periodicus mensium primis statim mensibus adfuerit, & quod tempore catameniis consueto contingat: hæmorrhagiæ vaginæ, quæ plethoricis accidunt, si motui, saltui nimio, aut calidis indulgeant, illæ etiam hæmorrhagiæ, quæ post vim utero illatam sequuntur, causa excitante probe indagata facile a *nostra* discriminantur. Ne tamen, ubi en placenta prævia sanguinis stillicidium fit, abortus conamina frustrata & elusa gaudeamus decepti, si ad quietem corporis, ad emulsum vel simile remedium sanguis fluere desinat, advertendum est, quod abortum instantem dolores partus plus minus validi comitari soleant, quod abortum varia signa præcedant, ut motus infantis diutius non perceptus, languor, mammaram flacciditas, abortiendi habitus &c. Quæ omnia in placenta prævia non observantur. Hæc de differentia homorrhagiarum ante partum sufficiant; sub ipso partu omnino facile est placentam præviam nosse, cum digitus vel modicum exercitanti ob-

stetricantis illam sine difficultate distinguere possit: demum nulla alia ante partum tam profusa, tam aucta sub omni dolore hæmorrhagia observatur, quam ubi ratio illius a placentæ orificio nexæ vasis ruptis & distractis repeti debet. Omnis enim alia sub dolore silet vel remissior fit, ut quæ ab uteri aut funiculi umbilicalis læsione contingit, quæ etiam a solutione placentæ provenit, si alio loco quam orificio accreta fuit: contrahens nempe se sub dolore uterus vasorum hiantium diametros minuit, aquas vesica contentas fortissime sibi apprimit, efficitque ut sanguinis fluxus hoc saltem momento, dum dolor adest, cohibeatur; contrarium in placenta prævia contingere debere, superius demonstravi.

*Medela* placentæ præviæ ante partum nulla est, palliativa in quiete & diætâ tenuiori consistit ut humorum velocior circulus & plethora caveantur; alvus facilis fervetur, ne validiori nisu ad illam deponendam aut scybalis durioribus uterus in contractionem cieatur. Notandum enim est, quod abortus cum placenta prævia, qui frequens fit, si serius contingat, æque peri-

periculosus, quin periculosior fit quam ipse partus, non enim manui ad illum promovendum accessus datur ob orificium angustum nimis, crassum, & digitis inexplicabile. Exacto vero partus Termino incipientibus doloribus parturiens, quantum fieri potest, quieta fit, nec nisu proprio vim dolorum augeat, usque dum collum & orificium sensim dilatentur, ut index, pollex & medius digitus absque magna vi intromitti possint, tunc sequenti ratione partus absolvi debet: manus cuneiformis vaginæ immittitur, tribus digitis ante dictis orificium uteri sensim & sensim explicare conantibus, ut omnem interiorem ambitum explorare possis tentando, ubi placenta minus firmiter nexa fit (nunquam enim per omnem periphæriam æquali tenacitate adhæret, sed ubi maximus vasorum jam solutorum numerus, ibi facilior plerumque seperatio) eo loco levi manu sursum placentam premes, ut ab orificio solvi debeat: habebis inde hiatum placentam inter & uteri cavum internum, quo obtento statim manum ad rumpenda ovi velamenta duces, fœtum quomodocunque situm,

fitum, pedibus arreptum protrahes, quo facto, nisi sponte sequatur placenta, quod plerumque quidem fieri solet, manu de-  
nuo immissa illam deglubendo soloes, & uterum blanda manu repurgatum in contractionem allicies.

Obsterticans animosus, & bono adhuc tempore accersitus, antequam nimia sanguinis quantitas profusa sit, inter pauca mixuta periculofissimum hunc partum facile absolvet; integrum enim semper adhuc ovum adest, hinc versio infantis partus que acceteratio absque singulari incommodo fieri poterit.

Suadent aliqui, ut citius infans educi queat, ipsam placentam in medio sui perforandam esse, quia aliquot momenta in casu urgentissimo perdita credunt, si separatio placentæ in uno vel altero loco tentetur. Verum consilium hoc non practicum exercitium, sed quieta ad pulpitem meditatio suggestit; an quæso placentam in centro duos, tres quandoque digitos (in hoc præsertim casu, ubi collo coniformi se aptabat) crassam, fibrosam, spongiosam digitis obtusis momento perforabis?

bis? an minor hæmorrhagiæ metus, cum vasa maxima in medio posita lacrari debent, an funiculo umbilicali abrupto fœtum vivum obtinebis?

Nec illorum sententia valet, qui præventam præviam separari educique volunt, & dein partum versione vel forcipe finire: enimvero, cum omne periculum in tali partu ab hæmorrhagia ingruant, quid fiet, si semifoluta placenta tota avellatur? utique duplicato impetu ruet vitalis sanguis, nec tempus dabitur, ut fœtus educi, uterisque in contractionem cieri possit.

Pauca adhuc de placenta *parte sui* tantum prævia dicam: partialis adhæsiō ratione magnitudinis fortionis infidentis habita multo minus, sæpe nullum peribulum involvit; hæmorrhagiæ enim magnæ metus non est, nec via capiti prodituro a parva portione intercluditur, quin ipsum caput, hæmorrhagiam jam incepram sistet, ubi orificium subintrans placentam lateribus uteri apprimendo. vasa lacera compri-  
men-

mendo sanguinis fluxum, quamdiu partus  
durat, cohibebit; hoc vero absoluto, nisi  
placenta statim subsequatur, immissa manu  
facile separabitur.



THE-

# THESES.

---

I.

**H**æmorrhagiæ uteri cum abortu, quæ tales, ante quintum graviditatis mensem raro periculosa.

II.

Quæ serius accidunt, majus periculum involvunt.

III.

Abortus periculosissimus, qui ex placenta prævia contingit.

IV.

Partus præmaturus cum secundinis præviis fere semper lethalis.

V.

Lethale quoque fere semper, si cum his debitum graviditatis terminum prægnatus assignatur.

VI.

Nisi obstetricantis manus matrem foetumque morti eripiat.

VII.

Placentam parte sui solvendo, statimque versionem instituendo.

VIII.



VIII.

Male in hoc casu placenatm perforare quis tentat.

IX.

Male integram separare, & ante fœtum educere.

X.

Pessime in hoc casu adstringentia fœtum pellentia &c. interne exhibentur.

XI.

Pessime quoque TR. cinamomi decantatum alias specificum in hac hæmorrhagia propinatur.

XII.

Externis etiam remediis, ut fotibus epithematibus locus hic nullus est.

